

pyriique pulveris non exigua vis supervenisset, & denuo mœnia hac, atque illac concuterentur, Baptista Lodronius urbis tuendæ difficultate deterritus deditonem, conditionibus hisce adjectis, fecit, ut cum Germanis militibus, atque impedimentis sibi, ac Barbiano abire liceret, per sex menses adversus socios, & Gallos bellum non illaturis. Urbi quingentos ex suis milites præsidio imposuit, tum, ut si quid illi adversi obtigisset, tutum ad suos recipiendos locum haberet, tum, ut Gallos exciperet, qui Alpes transgressi in Italiam venturi erant. Sed ea res haud parum Franciscum Sfortiam commovit, ad quem ex fœdere ea civitas spectabat, cum victoriæ fructum se nequaquam percipere, sed ad alios transferri videret. Neque minus Senatui Veneto hoc molestum erat, quod fractum animo, ac pene ad desperationem adactum Sfortiam cerneret, atque hoc Lautrechii facto suspicionum, & dissensionum seri inter socios aliquando ingentium malorum semina posse, animadverteret. Quocirca Petro Pesareo præcepit, ut cum Lautrechio ea de re ageret, adnitereturque, ut urbem Ducis potestati permitteret, quem ob eam rem dejectione, ac mœtore animi prope confectum, cuncta questu implere intelligeret; nihil sibi eorum, quæ sancte Rex, & mater, adeoque universa Gallia pollicita fuisset, præstari. His adjecta sunt, non videri impositi Alexandriæ præsidii justam esse causam, ut tutum ultra, citroque commeandi iter suis militibus Lautrechius habeat; cum fœderatorum copiæ numero, & robore firmæ adeo sint, ut intercipi milites posse nulla ratione pertimescendum videatur: deinde cum ipse cis Padum contineatur, semper illi per urbis Novariæ agros, Pedemontanamque regionem patens undeque iter futurum: ex Alexandriæ civitate nullum militibus, aut venientibus ex Galliis, aut ex Italia redeuntibus impedimentum, Transpadanis, Cispadanisque patentibus itineribus, inferri posse; eo Senatum vehementer angi, quod prospere gerendarum rerum momenta præterlabi inspiceret, atque inutili cunctatione, opportuno anni tempore, debilitatis hostibus, victoriæ cursum remorari animadverteret.

Eadem, Sebastiano Justiniano, ut Francisco Galliarum Regi Senatus nomine significaret, injunctum est, obnixeque peteret, ut quamprimum tradi urbem Sfortiæ mandaret; cum præfertim

1527
Alexandria
a Lautre-
chii occupa-
ta.

Francisci
Sfortiæ
perturbatio
ob Alexan-
driam Gal-
licis præ-
sidii munici-
tam.

Senatus of-
ficia ut
Sfortiæ
Lau-
trechii Ale-
xandriam
tradidit.

Mandata
Senatus ad
Sebastianum
Justinianum
Oratore in
Gallia.